



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Testimonialium collationis Ordinum vigore Brevis Form. XXII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

## ADNOTATIO.

**P**OST ORDINATIONEM PVBLICANDO. Debet supradictum Decretum adscriptionis publicari post ordinationem, ut promoti sciant in qua Ecclesia inservire, & functiones Ordinum ad prescriptum Concilii de mandato Episcopi exercere debeant, & postea in unaquaque Ecclesia, quæ habet Clericos servitio adscriptos, Tabella eorundem retineri in loco visibili: & ne de eorum adscriptione valeant ignorantiam allegare, fiat de ea mentio in Testimonialibus collationis Ordinis, ut in formula. Si quis autem illorum (ignorando humilitatem status sui) in-

tumescat, & dignitatem non merito, sed divitiis existimet, Ecclesiæque inservire erubescat, pars hæreditatis ejus transibit ad alienos.

Testimonialium Collationis Ordinum vigore Brevis Apostolici.

## FORMULA XXII.

## SUMMARIUM.

- 1 Indulta Apostolica recipiendi extra tempora Ordines Sacros dispositionem Sac. Conc. Trid. de non ordinandis ad titulum Patrimonii non relaxant.

N. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

**P**ER presentes cunctis testamur, qualiter Nos vigore Brevis Apostolici sub datum Romæ . . . legitime recogniti, & sub die . . . Nobis exhibiti in nostra Cathedrali Ecclesia dilectum Nobis in Christo N. Dominica, quæ fuit prima mensis . . . ad Subdiaconatus, die verò . . . quæ fuit festum S. N. ad Diaconatus, & postremò die Dominica, quæ fuit . . . ad Presbyteratus Sacros Ordines inter Missarum solemnias adhibitis solemnitatibus juxta ritum S. R. E. & servata forma Sac. Conc. Trid. ad titulum sui Beneficii ritè promovimus. In quorum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIO.

**A**D TITULUM BENEFICII. Indulta Sedis Apostolicæ recipiendi extra tempora Ordines Sacros, dispositionem Sac. Concil. Trid. de non ordinandis ad titulum Patrimonii, seu Pensionis, nisi ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, non relaxant, prout declaravit Congregatio Deputata ab Innoc. XII. in Decreto super reformatione Indultorum emanato 14. Decemb. 1693. quo Episcopi ad executionem hujusmodi Indultorum minimè adstringuntur: quod denuo probavit idem Pontifex in Constitutione pro tollendis abusibus ordinandorum edita de mense Novembris 1694.

Testimonialium Ordinationis non habendæ.

## FORMULA XXIII.

## SUMMARIUM.

- 1 Episcopus ordinando Regulares, qui non sunt Diocesani, debet exigere Attestationem impedimenti Diocesani Episcopi.
- 2 Pœna privationis Officii, & vocis, quando incurratur ante sententiam declaratoriam n. 3. & 4.

Uni-